

NAGY LAJOS KIRÁLY ÉS  
ERZSÉBET ANYAKIRÁLYNÉ KIADATLAN  
LEVELEI VI. KELEMEN PÁPÁHOZ.

1346—1347.

Az 1899-ik év tavaszán »Magyarország egyházi és politikai összeköttetései a római szent-székkal« című munkám azon részén dolgozván, a mely Nagy Lajos király uralkodásának nagyjelentőségű eseményeit tárgyalja, a vatikáni levéltárban a pápák által a királyhoz intézett levelek hosszú sorozatát találtam; de egyetlenegyvet sem azokból, a miket a királytól a pápák kaptak. Az a sejtélem, hogy Avignonban, a pápák akkori székhelyén talán, ha nem is eredetiben, legalább másolatban fennmaradtak ilyen iratok, arra készítetted, hogy oda utazzam. Schönherr Gyula dr., akkor a római magyar történeti intézet tagja, szíves volt kísérni.

Útközben megállapodtunk Marseilleben, a hol a Bouche-de-Rhone departementnak (melyhez Avignon is tartozik) levéltára őriztetik.

Itt, nem csekély öröömre, nyolcz levélre akadtam, a melyeket Lajos király és anyja Erzsébet királyné VI. Kelemen pápához intéztek.

XIV. századbéli kéz által írt másolatokat tartalmazó három papírfüzet tartotta fenn azokat. Registre 176. B. num. 17., num. 56. és num. 61. a jelzetük.

Mindezek a levelek Endre királyfi nápolyi katasztrófájára vonatkoznak, és jelentőségüket fokozza az a körülmény, hogy hangjuk és stíljük tanúsága szerint nem az udvari kancellária fogalmazványai, hanem a király és a királyné saját fogalmazványaik.

Egy részöket magyar fordításban közöltem fentebb jelezett munkám II. kötetében, mely Budapesten 1902-ben látott napvilágot.

Az eredeti szöveget késtem közzétenni; mert azzal a

tervvel foglalkoztam, hogy Nagy Lajos király összes diplomáciai leveleit egybegyűjtöm és közzéteszem. Erről a tervről, mint sok másról, — sajnos — le kell mondanom.

Ennek következtében középkori diplomáciai történetünk ezen nevezetes emlékeit nincs jogom a történettudománytól többé elvonnom.

Budapest, 1904. október 20-ikán.

FRANKÓI VILMOS.

## I.

1346. január 15.

### *Lajos király VI. Kelemen pápához.*

Sanctissimo in Christo patri domino Clementi divina providencia sacrosancte Romane ac universalis ecclesie summo pontifici, domino et patri suo plurimum honorando Ludovicus Dei gracia rex Ungarie pedum oscula beatorum.

Sanctissime pater. Recordari dignemini, quod, sanctissima Romana ecclesia annuente et papali clemencia dispensante, dominus Carolus, genitor meus, Hungarie et Robertus Jerusalem et Sicilie regnorum reges, ductis in consideracionem utilitatibus, que regno Sicilie provenire possent, inter filios ipsius Caroli regis Hungarie et filias Caroli ducis Calabrie, neptes ejusdem regis Roberti, multo tempore missis pluribus ambaxiatoribus solemnibus (matrimonium), tractaverint; demum ad hoc fuit eventum, quod idem dominus rex genitor meus, dominum Andream, secundogenitum suum, germanum meum carissimum, in Siciliam transduxerat; et ibi sponsalia germani mei cum Johanna, primogenita dicti ducis Calabrie, publice, in facie ecclesie, fuerunt contracta, tali condicione: ut si idem Andreas et Johanna morerentur, tunc alter filiorum ipsius regis Hungarie, quem idem rex eligeret, in Siciliam transmittendum, Mariam, germanam ipsius Johanne duceret in uxorem.

Dignatur eciam vestra papalis clemencia recordari, quod ipsis dominis Carolo et Roberto regibus pie memorie de medio, Domino volente, sublatis, et matrimoniali copula inter eosdem germanum meum et Johannam, de spontanea voluntate eiusdem Johanne, consummata, vos pater sanctissime, ad meas frequentes postulaciones ipsum dominum Andream Sicilie regem, germanum meum, coronare et regali corona insignire spopondistis, et ipsa coronacio in terminos et annos extitit prorogata. Et cum tandem vestra benignitas apostolica coronacionem ipsam fieri annuisset, et littere bullate jam date, ac auctoritatem coro-

nandi habentes deputati fuissent, propter ipsam coronam, illi qui coronam eandem subripere conati sunt et conantur, dictum regem germanum meum, digne memorie, turpissima morte et mundo prius inaudita, interfecerunt; per quod tota parentela mea, per gyrum et distensionem tocius Christianitatis diffusa, una mecum, opprobrium recepit perhennaliter ignominiosum. De cuius quidem mortis eventu formidabar, et formidans pluries scripsi et proposui vestre beatitudini ipsam mortem eventuram; et ista turpissima mors germani mei evenit sub spe et speramine vestre sanctitatis.

Vobis igitur beatissime et clementissime pater, qui verus Christi in coelo presidentis estis, divina favente clemencia, vicarius in terris, supplico humiliter et devocione filiali, quatenus intuitum cordis, mentis et animi vestri clemenciali pietate ad hoc dirigatis et flectatis. ut de hoc crimine lese majestatis fiat vindicta, secundum sui quantitatem; et interemptores germani mei ac ejus cruore maculati omni jure suo in regno Sicilie et ejus pertinenciis sint privati.

Et isti interemptores germani mei sunt dicta Johanna viricida, quondam contoralis ipsius germani mei; et domina Maria, soror ejusdem Johanne; Robertus princeps Tarenti et germani ejusdem; Carolus dux Duracii et germani ejusdem; et alii omnes, qui coronam ipsius regni Sicilie querebant et querunt subreptione.

Cum igitur apostolice beatitudini constat evidenter, quod ego sum primogenitus primogeniti, de domo Sicilie oriundus, ea propter vice iterata clementissime et sublimissime sanctitati vestre supplico devotissime ac humilitate filiali, sicut plus possum, quatenus me amaritatum respirare et cor meum turbatum clemenciali pietate velitis (*sic*) per hoc, ut ipsum regnum Sicilie, cum pertinenciis suis, quod in manus sanctitatis vestre devenit, absolute mihi et domino Stephano duci, germano meo, de benignitate et liberalitate apostolica dare nunc et locare dignemini eo modo, prout domini reges predecessores mei ipsum tenuerunt, ut a sanctissima matre Romana ecclesia idem regnum recognoscam et censum dein et servicia faciam, sicut priores reges, et maiora de eodem.

Datum in Wysegrad die XV. mensis Januarii.

*Az írat éln:* Copia litterarum missarum domino pape pro rege Ungarie, tangencia reginam et regnum Sicilie.

•

A pápa 1346 márczius 14-ikén kelt válasziratában a királyi levél kivonatát ilyen módon adja:

»Diversa celsitudinis tue . . . litteras. per . . . ambaxa-

tores tuos, nobis . . . presentatas, recepimus, infrascripta, petitiones seu supplicationes continentes; videlicet, quod de nephanda morte clare memorie Andree regis Sicilie, germani tui, cuius coronacionem, per nos eidem concessam, in terminos et annos fuisse per nos in eisdem litteris tuis asseris prorogatam, cum per illos coronam eandem conati sunt surripere et conantur, fuerat nequissime in tuam et parentele tue ignominiam perpetuam perpetrata, faceremus, ut tuis verbis utamur, vindictam, secundum patrati sceleris quantitatem; et, cum interemptores germani tui predicti, quos nominas, sint omni iure regni Sicilie et pertinenciarum eiusdem privati, tibi, tanquam primogenito ex primogenito domus regni Sicilie originaliter descendenti, in solacium et consolacionem tui, regnum predictum Sicilie cum pertinenciis suis, quod ad manus nostras, occasione perpetrati predicti sceleris asseris pervenisse, et dilecto filio nobili viro Stephano duci, germano tuo de liberalitate apostolica dare et locare, modis et condicionibus, quibus consueverunt tenere predecessores tui reges Sicilie, dignaremur . . . « Mindezt a fentebbi levél csakugyan tartalmazza. Ellenben nem találjuk föl benne azt, a mire a pápa a következőkben utal: »Mirari cogimur, quod celsitudo regia . . . Talayrandum . . . cardinalem de scelerata nece germani tui conscium, litterarum predictarum serie descripsisti.»

(Theiner, I. 708., 710.)

## II.

1346. január 15.

*Lajos király VI. Kelemen pápához.*

Sanctissimo in Christo patri domino domino Clementi divina providencia sacrosancte Romane ac universalis ecclesie summo pontifici, domino et patri suo plurimum honorando, Ludovicus Dei gracia rex Ungarie pedum oscula beatorum.

Sanctissime et clementissime pater. Audivi, ut Robertus princeps Tharenti et Johanna viricida, quondam conthoralis domini Andree regis Sicilie, germani mei pie memorie, supplicarent apostolice sanctitati, super dispensacione, ut mutuo invicem matrimonialiter copulari, et sponsalia inter se possent consummare. Super quo apostolicam beatitudinem vestram attentissima et humillima devocione filiali peto, deprecor et exoro, quatenus dispensare non velitis, et apostolica sedes dispensare non dignetur super eo, ut ipsa Johanna viricida cum ipso principe Tharenti vel altero de domo Sicilie, aut quoquam de mundo, sponsalia consummare et matrimonialiter copulari possit; nam si cum ipsa dispensaretis et eam maritali ac legitimari permitteretis, tunc turpissima mors germani mei

renovaretur, et eos pater sanctissime contra omnia illa, que mediantibus litteris vestris domine regine genitrici mee, mihi et domino Stephano duci, germano meo, per ambaxiatores meos, destinatis.<sup>1)</sup> graciosè promisistis, faceretis. Ipsa Johanne est viricida. jure suo et honore privata, et ei fiat secundum demerita sue pravitatis.

Datum in Wysegrad die XV. mensis Januarii.

\*

A pápa 1346 márczius 14-én kelt válasziratában a királyi levél kivonatát ilyen módon adja:

»Cum ad tuam audienciam pervenisset. quod Robertus princeps Tarenti et Johanna regina Sicilie nobis supplicare curasset, quod super sponsaliis et matrimonio inter eos ad invicem contrahendis nos dispensare de apostolica benignitate dignaremur; tu fili carissime considerans, ut scribis, quod ex dispensacione huiusmodi dolor de morte crudelissima dicti germani tui in te haberet acerbius renovari: supplicabas devocius, ut quod ipsa Johanna cum prefato principe Tarenti, vel altero de domo Sicilie, aut quovis alio matrimonialiter valeat copulari, nullatenus, prout tibi et dicto Stephano ac . . . genitrici tue, per litteras nostras, per ambaxiatores tuos transmissas, graciosè nos promisisse asseris, dignaremur.«<sup>2)</sup>

(Theiner, I. 708.)

### III.

1346. január 15.

#### *Lajos király VI. Kelemen pápához.*

Sanctissimo in Christo patri domino Clementi divina providencia sacrosancte Romane ac universalis ecclesie summo pontifici, domino et patri suo plurimum honorando, Ludovicus Dei gracia rex Ungarie pedum oscula beatorum.

Sanctissime et clementissime pater. Litteras sublimitates vestre per ambaxiatores meos mihi missas,<sup>3)</sup> humilitate filiali recepi et devotissime eorum tenorem intellexi, quo plenius

<sup>1)</sup> Az 1345. szeptember 29-ikén kelt leveleket érte. Theiner, I. 687., 8.

<sup>2)</sup> Ezen utóbbi pontra vonatkozólag a pápa azt írja, hogy ilyen ígéretet nem tett. »Super dispensacione . . . nihil tibi scripsisse reperimus.« A pápa Lajos király levelét félreértette. A király nem hivatkozik a pápának a dispensatió tárgyában tett ígéretére; hanem azt akarja mondani, hogy a pápa megadván a dispensatiót, összeütközésbe jönné 1345 szeptember 29-ikén kelt levelében foglalt azon biztosításával, hogy a merénylet nem fog büntetlenül maradni. (Theiner, I. 687.)

<sup>3)</sup> Az 1345 szeptember 29-ikén kelt levelet közli: Theiner, I. 687.

intellecto, super eo quod de scelere flagicioso et scleratissimo flagicio mortis in personam clare memorie Andree regis Sicilie germani mei, a filiis Belial, prodicionis et iniquitatis alumpnis. nequiter et proditorie perpetrato, in visceribus caritatis compatimini, et dolorum meorum participes efficimini in hac parte. consolacionemque mihi nunciastis in eo, quod istud scleratissimum flagicium turpissime mortis germani mei non remanebit procul dubio, quantum ad vos et ecclesiam pertinuerit. impunitum, regracior sanctitati apostolice, prostratus ad terram, sicut plus possum. Firmam spem in hoc gero, et perfecte credo, quod vos beatissime et clementissime pater ea omnia. que in litteris vestris domine regine, genitrici mee,<sup>1)</sup> mihi et domino Stefano duci,<sup>2)</sup> germano meo, destinatis, graciose promissistis, finem perducetis ad optatum.

Datum in Wysegrad die XV. mensis Januarii.

#### IV.

1346. márczius 18.

#### *Erzsébet anyakirályné VI. Kelemen pápához.*

Sanctissime pater et domine. Per litteras vestras graciosas, mihi et meis filiis missas, efficiendo vos participes dolorum nostrorum, ammonebatis clementer, ut in prole ex domino Andrea, condam rege Sicilie, filio meo felicis memorie, et Johanna tunc contorali eius relicta pregnante, nascitura, consolacionem recipere deberemus; et ecce per scriptiones litterales percepinus, quod eadem Johanna relicta filii mei parturierit prolem masculinam. Quamobrem clementiam apostolicam deprecor humiliter et devocione filiali, quatenus ipsum puerum, nepotem meum, ad educandum et tucioris sollicitudinis cura custodiendum, cum regimine Sicilie, mihi meisque filiis dare dignemini atque conferre. Nemini enim idem puer sic competit dari ad servandum et tuendum, sicut mihi et meis filiis ad caucionem cerciorem. Attamen si memoratus puer morte naturali vel altero quovis modo, quod absit, morte preveniretur, extunc supplico, ut regnum predicti regni Sicilie domino Ludovico regi Ungarie et Stephano duci tocius Sclavonie, filiis meis, eo modo sicut per alias meas litteras, per ambaxiatores regios missas, postulavi dari, peto et conferri de clemencia apostolica, ut censum debitum et servicia faciant, prout dederunt et fecerunt predecessores reges Sicilie.

<sup>1)</sup> A levelet közli Theiner, I. 688.

<sup>2)</sup> A levelet jelezi Theiner, u. o.

inmo maiora et ampliora quam ipsi fecerunt Romane ecclesie de regno eodem.

Pervenit eciam ad meum auditum, ut mater pueri, viricida, inter filiam ducis Duracii et inter ipsum puerum novellum matrimonium tractet ordinari, quod vestra apostolica clemencia intercipere et prohibere dignetur; quia per dispensacionem et ordinacionem talium sponsalium malum exemplum toti Christianitati daretis, et turpissima mors domini regis Andree, patris ipsius pueri, eo momento renovaretur.

Datum in Wysegrad die XVIII. mensis Marcii.

## V.

1346. márczius 18.

*Erzsébet unyakitányé VI. Kelemen pápához.*

Beatissime pater et domine. Ad audienciam meam pervenit, quod Johanna viricida alicui ex regalibus de domo Sicilie nunc tractat copulari. Cum igitur ipsa ceciderit ab omni jure et honore suo, et vos, paternali pietate moti et nimio dolore ducti, promiseritis mortem filii mei, quantum in vobis est, ulcisci et vindicare; quamobrem supplico humiliter et devote, quatenus beatitudo vestra dispensacionem eidem Johanne non dignetur admittere, ut cuiquam regali de domo Sicilie aut alicui alteri matrimonialiter possit copulari. Quodsi contrarium hujus faceretis, fieret contra promissionem vestram, et mors filii mei ex hoc renovaretur, et meum, meorumque filiorum corda recenti dolore et tristicia sauciarentur. Sic igitur vestra sanctitas in hoc casu facere dignetur, ut toti Christianitati det bonum exemplum, nosque cum filiis meis nimium tristes pia visitacione reddat consolatos.

Datum in Wysegrad die XVIII. mensis Marcii.

## VI.

1346. márczius 19.

*Lajos király VI. Kelemen pápához.*

Sanctissime pater. Per litteras vestras graciosas, domine regine genitrici inee, mihi et domino Stephano duci tocius Sclavonie, germano meo <sup>1)</sup> transmissas, efficiendo vos participes dolorum nostrorum, ammonetis clementer et inducitis, ut in prole ex domino Andrea condam rege Sicilie germano nostro

<sup>1)</sup> Az 1345. szeptember 29-ikén kelt pápai levelekre utal. Theiner, I. 687., 688.

clare memorie et Johanna, tunc anthorali ejus, relicta pregnante, nascitura consolacionem recipere deberemus; et ecce nunc audivi, quod eadem Johanna relicta germani mei masculum peperit. Quo circa clemenciam apostolicam peto, deprecor et exoro humilitate filiali, sicut plus possum, quatenus ipsum puerum filium germani mei ad educandum et tutoris sollicitudinis cura custodiendum et servandum, simul cum regno Sicilie et administratione ejusdem regni, domine regine genitrici mee, mihi et Stephano duci germano meo dare dignemini et donare; nemini enim ita sicut domine regine genitrici mee, mihi et germano meo ipse puer pertinet ad servandum. Et si ipse puer morte naturali vel aliter quoquomodo moreretur, quod absit, tunc supplico, ut idem regnum Sicilie, cum administratione et regimine, mihi et germano meo, eo modo sicut per alias litteras meas, per meos ambaxiatores missas,<sup>1)</sup> petivi, dare, donare dignemini et largiri, ut censum dein et servicium faciam, una cum germano meo, sicut priores reges, predecessores mei, fecerunt, imo et majora sanctissime Romane ecclesie de eodem.

Audivi eciam, ut mater pueri, viricida, sponsalia eiusdem pueri cum filia ducis Duracii<sup>2)</sup> vellet ordinare, quod vestra apostolica sublimitas intercipere etprohibere velit et dignetur; nam per ordinationem talium sponsalium malum exemplum omni Christianitati daretur, et turpissima mors regis Andree, patris pueri ipsius renovaretur.

Datum in Wysegrad die XIX. mensis Marcii.

*A levél élén:* »De litteris regis et regnie Hungarie super facto Sicilie missis ad dominum papam.

\*

A pápa 1346. május 6-ikán kelt válasziratában ezt a királyi levelet a következőképen ismerteti:

»Regalis magnificencie litteras . . . recepimus . . . Per eas regia sublimitas inter cetera supplicavit, ut circa custodiam et educacionem decentem et securam incliti pueri Caroli . . . curam adhiberi fidelem, et sollicitam mandaremus; et ut hoc melius, utilius et securius compleretur. ordinare quod puer ipse alendus, mitriendus et custodiendus assignaretur . . . genitrici tue, . . . administracioque regni Sicilie traderetur tibi . . . ac . . . germano tuo duci Transilvano et eidem genitrici, usque ad etatem eiusdem pueri legitimam, dignaremur. Et ulterius adiecerit subli-

<sup>1)</sup> 1346. január 15-ikén kelt leveleire utal.

<sup>2)</sup> Mária és Károly elsőszülött leányáról, az 1344 végén született Johannáról van szó.



mitas regia supplicacioni predictae, quod Johanne regine . . . nullatenus concederemus licenciam vel dispensacionem cum aliquo de domo regia Sicilie matrimonium contrahendi.«

(Theiner, I. 712.)

## VII.

1347. márczius 27.

*Erzsébet anyakirályné VI. Kelemen pápához.*

Litteras sanctitatis vestre <sup>1)</sup> recepi reverenter, quibus perlectis percepi per eandem, ut pro Johanna, relicta clare memorie domini Andree regis Jerusalem et Sicilie, nati mei carissimi, per quosdam instantissime et jugiter supplicaretur, ut ei licenciam et dispensacionem concederetis nubendi cum uno regalium, scilicet Philippo principe Tarencii, vel Ludovico eius fratre, assignatis causis dispensacionis: eiusdem Johanne juventutem et effluxum temporis luctus.

Super quo vestra clemencia dignetur advertere, quod licet ipsa sit juvenis, quomodo debeat talis mulier solacio secundi mariti gratulari, que tam nequissimo studio scivit et presumpsit mortem impiissimam suo marito dampnabiliter procreare? Quamobrem supplico sanctitati vestre humiliter et devote, quatenus prefate Johanne, nedum cum aliquo principum predictorum, sed cum nemine dispensetis matrimonialiter copulari; que dispensacio omnino injuste petitur et contra leges mundanas atque divinas. Nam pro certo, si vestra sanctitas ipsam dispensacionem admiserit, quod non credo neque spero admitti, ineffabili et inestimabili dolore meos gemitus maternos et continuos, quos concepi de carissimi filii mei morte crudelissima, renovarentur et recenserentur eo facto iterato, exanime corpus dilecti filii mei misere matri sue recenter cruentatum jaceret in conspectu, et pro certo hujusmodi matrimonii contraccio illicita et injuriosa cogeret ante tempus finire vitam meam.

Supplico igitur, et instantissime supplico, et iterum supplico, ne sanctitas vestra admittat et permittat tam indebitam dispensacionem, et omnino toti mundo injuriosam atque contemptuosam.

Et si forsan aliquis instaret, quod illa mulier de nece mariti sui inculpabilis habeatur, dico: quod adhuc me ibi Neapoli existente, fama communis volabat, et eminentissima persona, quam nolo presentibus nominare, nos consciam fecit,

<sup>1)</sup> Az 1347. január 15-ikén kelt levelet jelzi Theiner, I. 730.

et per evidencia signa apparebat, quod procurabatur occulte de morte filii mei; et sic, post reditum meum de partibus illis, cum maxima cura et dolore, sanctitati vestre notificari curavi illud item, quod procurabatur de morte ejus, et hunc casum verens, et volens educere filium meum de partibus illis, totis viribus procurabam et procuravi, quod posset educi; vestra autem sanctitas bis nunciavit, quod non erat timendum de ipso, et propter hoc ibi eum reliquimus ad manendum, sub spe et speramine vestre sanctitatis. Consideret itaque vestra clemencia si tali mulieri dispensacio fieri debeat, aut contingat eam honor aliqualis.

Datum in Bude XXVII. die mensis Marcii.

*Az irat élen:* Littere regis et regine Ungarie ad dominum papam, super matrimonio domine regine Sicilie et custodia filii sui et punicione culpabilium de nece domini Andree.

### VIII.

1347. márczius 27.

*Lajos király VI. Kelemen pápához.*

Sanctissimo in Christo patri domino domino Clementi divina providencia sacro sancte Romane ac universalis ecclesie summo pontifici, domino et patri suo plurimum honorando, Ludovicus Dei gracia rex Ungarie pedum oscula beatorum.

Beatissime pater. Receptis litteris sanctitatis vestre,<sup>1)</sup> debito cum honore, earum tenore perspecto et perlecto, intellexi, quod sanctitas vestra venerabilem in Christo patrem dominum Ildebrandinum Paduanum episcopum in regnum Apulie transmisit, ad ordinandum, ut dominus Carolus puer, secundum decenciam magnificencie sue aleretur; et secundo deputaveritis dominum Bertrandum de Baucio comitem Montiscavosii, ad scrutandum, inquirendum et sciendum obnoxios flagicii, seu sceleris occisionis incliti principis domini Andree. quondam regis Jerusalem et Sicilie, ac puniendos omnes culpabiles eiusdem facinoris; et demum venerabilem patrem dominum Bertrandum tituli sancti Marci presbyterum cardinalem destinaverit eadem sanctitas vestra, cum plenitudine potestatis, causa inquirendi, scrutandi, puniendi prefate nefande presumpcionis patratores, sine diferencia sexus, condicionis, eminencie sive status; qui comes ad execucionem mandati vestre sanctitatis procedens, de duobus comitibus et quibusdam aliis inferioris condicionis hominibus justiciam fecisset. Sic

<sup>1)</sup> 1347. január 15-ikén kelt levelet közli: Theiner, I. 728.

vestre sanctitati est rescriptum. Alii quamplures majoris eminencie existunt impuniti. Super quo sanctitati vestre possum dicere, quod vindicta que est facta, et que adhuc restat faciendā, expediens extitisset et extaret, si per hominem vestre sanctitatis executio eiusdem vindicte mihi injuncta facta fuisset. Nam vix potuit fieri vindicta, vel poterit esse, licet grandis et ardua, extra presenciam meam, de qua meus animus contentetur, quamvis homines inculpabiles nunquam gestiam in hoc facto vel alio quoquomodo aggravari. In eo tamen beatissime pater, quod Johannam, quondam consortem domini Andree Jerusalem et Sicilie regis germani mei, nunc viricidam, »carissimam in Christo filiam nostram« et »reginam illustrem« nominastis in litteris vestris, gratiosi mihi non videmini; nam talis mulier, que viricida, et in nece domini mariti sui culpabilis notorie per universoni mundum est diffamata, non est digna »carissima in Christo filia nostra« et »regina illustris« nominari.

Item de eo, quod Carolum Martellum, filium dicti domini Andree regis, germani mei, nepotem meum, aliis ad alendum collocastis, non contentor; quia filius germani mei nemini nisi mihi pertinet ad alendum et nutriendum, presertim propter periculum sue mortis evitandum.

Item de vindicta facta de quibusdam proditoribus et ipsius domini regis germani mei interfectoribus, non contentor; quoniam non est facta sicut fieri debuit. Si juste facta fuisset, tunc illi proditores de Johanna predicta, regalibus et aliis plura fuisse; sed cuiusdam lingua excisa fuit, et quidam irrequisiti interfecti extiterunt, ut veritatem fateri non possint. Supplico itaque sanctissime paternitati vestre, quatenus de illis proditoribus, de quibus vindicta facta non est sed fieuda restat, scilicet de Johanna, Carolo Artusio et Bertrando filio ejus ac aliis, quos regnicole culpabiles fore fatebuntur, impendatur et fiat vindicta, coram me et presenciam mea speciali. Ecce annus expiravit, et alter annus instat, a quo prestolatus sum a clemencia vestre sanctitatis vindictam fieri, et nondum finis est subsecutus.

Rursus scripsit sanctitas vestra, quod pro matrimonio Johanne et dispensacione vestre sanctitatis per quosdam instantissime supplicaretur, ut cum aliquo regalium legitimo conjugio valeat et possit copulari, scilicet Philippo principe Tarenti vel Ludovico fratre ejus; presertim cum predicta Johanna sit juvenis et tempus luctus postergari (*sic*). Quare providencie vestre sanctitatis supplico devocius et humiliter, quantum possum, quatenus ad executionem vindicte mortis predicti fratris mei carissimi, una cum executoribus sanctitatis

vestre, me presencialiter adesse dignemini et velitis. Et de dispensacione, que minus debite de vestra sanctitate pro memorata Johanna exquiritur, supplicancium vota admittere non velitis; sicut hoc de vestra sanctitate aliter et per alios meos nuncios instantissime, devotissime et frequenter me recole (*sic*), et nunc similiter supplico, ut non solum cum predictis regalibus, imo nec cum aliquo vivente ut memorata Johanna matrimonialiter jungi possit velitis dispensare. Nam quomodo dispensacionem matrimonium contrahendi meretur, vel aliquem actum legitimum exercendi, que notorie de nece mariti sui infamia est resparsa, et sine spe cuiusquam tergiversacionis est culpata, et juris ordine dire mortis exicio deberet maritali? Et revera, si talem dispensacionem sanctitas vestra admitteret, quod non credo, precordialia mea de diro leto dicti fratris mei carissimi recenti sauciamine et recidivo dolore, proh dolor, turbabuntur; et sicut verisimiliter credere possum, nota talis gracie pretaxate Johanne, quod absit, impetrande, non tantum penetralia cordis mei perturbaret, verum et orbem Christianitatis universum ineffabili admiratione et magna ageret in stuporem. Supplico, supplico et supplico sanctitatem vestram vicibus pluries iteratis, ne sanctitas vestra sepiustactam dispensacionem scandalo plenam annuat vel admittat.

Datum Bude die XXVII. mensis Marcii.

*A levél élén:* Littera domini Ludovici regis super punitione patratorum mortis Andree regis.

Közli: FRANKÓI VILMOS.

---